

WS 2024/25 Lat. Lektüre: Plautus, *Epidicus* TEXT 2 / 29.10.24 (Karanasiou)

<https://www.thelatinlibrary.com/plautus/epidicus.shtml>

EP. Quem dices digniorem esse hominem hodie Athenis alterum?

TH. At unum a praetura tua,

Epidice, abest. **EP.** Quidnam? **TH.** Scies:

lictos duo, duo ulmi

fascis virgarum. **EP.** Vae tibi.

sed quid ais? **TH.** Quid rogas? **EP.** Vbi arma sunt Stratippocli?

T. Pol illa ad hostis transfugerunt. **E.** Armane? **T.** Atque equidem cito. 30

EP. Serione dicis tu?

TH. Serio, inquam: hostes habent.

EP. Edepol facinus improbum. **TH.** At iam ante alii fecerunt idem.

erit illi illa res honori. **EP.** Qui? **TH.** Quia ante aliis fuit.

Mulciber, credo, arma fecit quae habuit Stratippocles:

travolaverunt ad hostis. **EP.** Tum ille prognatus Theti 35

sine perdat: alia apportabunt ei Nerei filiae.

id modo videndum est, ut materies suppetat scutariis,

si in singulis stipendiis is ad hostis exuvias dabit.

TH. Supersede istis rebus iam. **EP.** Tu ipse, ubi lubet, finem face.

TH. Desiste percontarier. **EP.** Loquere ipse: ubi

Stratippocles? 40

TH. Est causa qua causa simul mecum ire veritust. **EP.** Quidnam id est?

TH. Patrem videre se nevolt etiam nunc. **EP.** Quapropter? **TH.** Scies.

quia forma lepida et liberali captivam adolescentulam

de praeda mercatust. **EP.** Quid ego ex te audio? **TH.** Hoc quod fabulor.

EP. Cur eam emit? **TH.** Animi causa. **EP.** Quot illic homo animos

habet? 45

nam certo, prius quam hinc ad legionem abiit domo,

ipsus mandavit mi, ab lenone ut fidicina,

quam amabat, emeretur sibi. id ei impetratum reddidi.

TH. Vtcumque in alto ventust, Epidice, exim velum vortitur.